



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

(8)

ILLUSTRISS., ET REVERENDISS.

D. D.

obitio

HIERONYMI HENRICI

C O M I T I S

BELTRAMINI MIAZZI

E L O G I U M .

N. N. V. V.

ZERBINO FRANCISCO BETTIS

A C E L A N O


E T

HIRONYMO SARTORI

B A S S A N E N S I ,

DEFUNCTI EPISCOPI CONSANGUINEIS,

DEQ. EO OPTIME MERITIS DICATUM.



T A R V I S I I ;

M D C C L X X I X

TYPIS JO: ANTONII PLANTÆ,

S U P E R I O R U M P E R M I S S U .



ILLUSTRISS., ET REVERENDISS.

D. D.

HIERONYMI HENRICI
C O M I T I S
BELTRAMINI MIAZZI

E L O G I U M .

IERONYMUS HENRICUS COMES BELTRAMI-
NI MIAZZI natus Bassani ex Illustri Familia de Asylo, Bas-
lianensi etiam Collegio adscripta, quæ simul cum Riccatians
inter Patrias Tarvisinæ Urbis magno: totius Ordinis consensu
adnumerata est, dum adhuc noster impubis esset, ingenio fuit
experecto, & ad disciplinas addiscendas magnopere accommodato, sed morum
suavitate vel in primis prædicto sic, ut facile auspicium a prima ætate capi
posset, eumdem inter Nobiles Adolescentes, qui gratia, & favore apud
omnes maxime pollent, nulli fore secundum.

Rem probavit eventus. Nam humanioribus primus Litteris in Seminario
Tarvisino optimis Praeceptoribus florente, inter quos celebris Ubaldus Bre-
golini J. U. D., degustatis, Moniam statim concessit, in qua Urbe poli-
tioribus Philologis studiis magis magisque excultus in Schola celeberrimi
Avunculi P. Roberti S. J. ad Mathematicas deinceps Disciplinas, & physicas

A * Scienze

(I V.)

Scientias animum appulit, duce, ac Præceptore summo clarissimo illo Italiæ lumine Vincentio Riccardo ejusdem Societatis, quem Tarvisina Civitas tamquam e naufragio emersum, sicuti summo sibi honori duxerat in finum suum ac veluti portum recepisse, ita paucos post annos extinctum vidisse veris laerymis prosequuta est.

Hisce egregiis ornamentis instructus HIERONYMUS, cum esset annorum ferme viginti ad Patriam regreditur, statimque factum ut omnes patriciis generis Viri eumdem sibi adjungere, cum eo familiaritatem inire, ad convivia, ad spectacula socium adhibere certatim cuperent; nonnulli eorum, & ex his præstantiores, nec vitam ducere posse sine eo dictitarent, earumque rerum, quæ vel Ordinis decori, vel Urbis aliquo modo congruere videbantur, HIERONYMO procurationem plerumque deferrent, reliquis cæteroquin Ordinibus acceptissimo, & ab exteris maxime Tarvisium adventantiibus admirationi habiro, tamquam absolutissimus esset in colenda, atque ornanda societate Adolescens.

Patriæ honores, & gradus sustinuit ea dignitate, quæ Familiam, & Urhem decebat; pecunia minime tenax, quin potius animo ad liberalitatem, & munificentiam composito.

Neque ob ea, quæ retulimus, quispiam in animum inducat suum Christiani hominis officia ab eo fuisse prætermissa, qui & communes urbanitatis, & privatas amicitiae Leges tam sancte servaret, quin potius illud sine ulla dubitatione affirmare possumus, Religionem alte animo infixam perpetuo retinuisse, ejusque Ministros magni semper fecisse; qui & ipse vicissim non eumdem aliquando studiose colere, neque prosequi benevolentia supra multos non poterant, cum esset etiam in ipso juventutis fervore, atque in ipsis (ut ita dicam) aberrationibus, ita factus, comparatusque, ut aliquem vel verbo lædere nesciret, omnium autem animos indita quadam sibi peculiari humanitate devincire optime sciret.

Has autem egregias Naturæ doctes sublimioribus cumulare decreverat Deus Optimus Maximus, & thesauros hujusmodi in Ecclesiæ utilitatem convertere, cum eidem animo iudicidit, ut sacerdotalem statum deponeret, nomenque suum inter Clericos daret, quod non nisi summa maturitate, & consultissimis Viris auctoribus executus est ineunte anno 1772. ætatis suæ 39. Matre, quæ spem omnem conservandæ Familiæ, carisque Nepotibus solandæ sene&tæ cum eo amitterebat, obsequiis aliisque plurimis filialis observantia significationibus prius delinita.

Quemadmodum vero Clericis, pomparum sacerdoti, ac voluptatum contemptu, eximia in Deum religione, & morum castimonia plane singulari anteire omni-

(V.)(

omnibus statim visus est; ita ad Sacerdotium promotus perfetti in eo gradu
Sacrorum Ministri exemplar attigisse ii omnes existimarent, qui eo familia-
riter utebantur, vel penitus explorabant.

Etenim SS. Canonum, & Theologiae studia percurrentes, Antecessore Se-
bastiano Marcuzzi S. Th. D. & in Seminario Tarvisino haud ita pridem
Jurisprudentiae Professore (qui hoc uno Discipulo multorum iacturam com-
pensari posse, non fallaciter a limine ipso praesensit, & multis denuncia-
vit, quique hoc Elogium impetu quodam doloris veluti effudit) nihil inau-
sum, intentatumque reliquit (cum praesertim maxime facilis esset ingenio)
ut ad ea, quae celerrime, ac probe didicerat, mores suos, totamque vitam
confuetudinem attemperaret sic, ut antiquam Presbyterii formam in se uno
veluti exprimeret, proiectoribus quasi stimulos adderet.

Sed ad Animarum curam, veraque pietatis propagationem eumdem voca-
bat divina Providentia, quae non incassum tot egregias doles, atque ad
omnes sibi conciliandos animos mirifice accomodataeas eidem contulerat, ins-
ter quas non infimum locum obtinebat effusa in pauperes munificentia, &
in miserios intima quedam, ac peculiaris animi affectio. Incredibile dictu,
quam nulla ferme interjecta mora, inter eximios Sacramenti Poenitentiae
Ministros sit habitus, ad eumque innumeri pene concurrebant ex tota Urbe
non modo, sed ex ipso etiam Tarvisino agro; quomodo ejus monita, atque
sententiae ex intimo animi sensu veluti expressae hominis a cupiditate qualis-
bet, seu querulus, seu gloriae alienissimi in animos auditorum influerent;
quam multos a vitiis ad virtutem, a vivendi licentia ad severiorem Evan-
gelii trutinam divino quodam sermonis lepore brevi traduxerit; & quo pa-
cto ad omnia, quae aut pietatem, aut proximi utilitatem attingerent, HIE-
RONYMI studium se extenderet; nihil ferme per ea tempora sine hoc, vel
Auctore, vel Auspice promoveretur, cum tamen ipse ab hominum conspe-
ctu se se subrahere & (ut omnem sibi ad Ecclesiasticos gradus, & digni-
tates aditum intercluderet) in Parochiali Domo S. Mariæ Majoris, ut ajunt,
in extrema Urbis parte sita se abdere nervis omnibus contendisset, nec inde
extrahi se pateretur, nisi cum decumbentibus, aut etiam animam agentibus
(quicumque tandem ii essent, vel quocumque ipse accessitus) opem ferre
opus esset; quo in munere sane gravissimo, nec periculis vacuo, atque unico
ex charitate suscepit vitam prodegisse suam, & phthisis semina, quae postea
erupit, ebibisse, qui totam rem probe norunt, non levi judicio pronuncia-
runt.

Tot, tantarumque virtutum fama, quae omnem Civitatem commovit, mi-
randum non est ad alias quoque Urbes permeasse, & acris judicii virum

Fel-

)(VI.)(

Feltrensem Episcopum Minuccium, qui præclari Neomystæ consuetudine aliquantis per etiam frui potuit, ad sui amorem excitasse, enque demum adduxisse, ut cum ab Episcopali illa Sede avulsum, & ad Ariminensem translatum se esse inteligeret a Sapientissimo, atque Optimo Pio VI, non alium quam HIERONYMUM (posthabito sibi carissimo ex Sorore Nepote peregrinationis suæ comite) in suum locum, ac Sedem substiendum, pro summa animi sui magnitudine, & singulari in Feltrensem viduatam Ecclesiam benevolentia, interroganti Pontifici Maximo fidenter responderit.

Renunciatur igitur Feltrensum Episcopus HIERONYMUS plaudentibus omnibus, se uno nihil sibi plaudente, quin potius communem lætitiam suo quasi luctu cobidente, atque animum tum maxime despondente, cum omnes in spem magnam ergebantur, fore illum inter Episcopos clarissimum lumen, sicuti inter minores fuerat Sacerdotes: quod judicium in summa ejus animi moderatione, & æquitate, nec non in expediendis negotiis dexteritate, ac prudentia fundatum, & Romani Præsules perspicacissimi, qui eundem postea agnoverunt, atque humanissime exceptum Roma dimiserunt, & gravissimi Venetorum Patres Conscripti, quibus jamdiu innotuerat, magno consensu approbarunt.

Et sane ad nos redeunte HIERONYMO, insperato Episcopatus honore, quasi radiis præfulgente, nihil de ingenuo animi candore, nihil de confusa humanitate detraetum in eo vidimus, quin potius virtutes ejusdem omnes, tamquam in vertice aliquo positræ adeo omnium oculos perstrinxerunt, tum Civium, tum exterorum, ut nihil unquam tam avide optarit Feltrensis Ecclesia, quam ut ad se convolaret, pro certo habens, Angelum pacis sibi adfuturum; fausta & felicia omnia in antecessum mente percurrens; quoniamque beata, Duce hoc & Antistite, predicari ubique debuerit, exultans, atque adeo secum ipsa quodammodo tryumphum agens; cum reapse nunquam tam vera, aut vero similia cecinisse illius temporis Vates communis opinione judicarentur.

Sed heu cœcas hominum mentes! VISUM ALITER SUPERIS arcano profrus, nec mortalibus indagando consilio.

Jam omnia ad Episcopatum necessaria paraverat; jam optimorum, sibi que similium Ministrorum delectum habuerat; jam amantissimas Pastorales Litteras, tamquam referati animi sensa, ad Ecclesiam Sponsam transmisserat, in quibus plane optimi, ac perfecti Regiminis regulas summatim complectebatur; quasque ad adamussim servandas se, suoque sacramento veluti obstrinxerat. Quid plura? Jam Sponsam ipsam inviserat, Sponisque ac Patris affectu verius, quam verbis allocutus, mira profrus, atque inaudita amo-

XVII. X

amoris, & fidei argumenta ab ea acceperat, cum statim ob segritudinem ab ejus sinu, & complexu secedere cogitur, & Patavium migrare; exinde iterum Tarvisium petere; tandem post varios casus, & serum discrimina, quæ nos diu anxios, metumque inter ac spem fluctuantes detinuere, ad eam domum redire, quam ad perpetuam veluti requiem ante Episcopatum sibi delegerat, inscripta epigraphe ex Psalmo: *hic requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam*, in qua Domo, sicuti & in Ecclesia eidem adnexæ B. V., cui erat additissimus, & in qua ejus præcordia quiescunt, munificentia ipsius, ac pietatis perennia monumenta supersunt.

Postremus vitæ Actus ejusdem non solum reliquis perfecte respondit, sed & omnes multarum, magnarumque, præsertim obfirmatæ in Deum fidei, atque invictæ patientiæ superavit accessione virtutum. Mortem subiturus in arenam Christianæ pœnitentiæ, quasi Athleta, descendit, sola sua (ut ita dixerim) virtute præcinctus; cum pet inopinatos eventus non steterit, quominus intestatus obiret, nec haberet ex pinguiori existente facultate (quod supra fidem videtur) Vir suapte natura pronus ad dandum, ad accipendum non item quod Amicis legaret, nisi plo, & simul æquo consilio Consanguinei Familiæ hæredes intercessissent, seque vades constituisserent: quæ omnia infausta & adversa, quasi Fatorum conspiratione, in unum confluxa, sicuti ad majus Episcopalis virtutis robur ejusdem ostendendum miro quodam modo Providentia contexuit, ita ad sui, suorumque illustriorem commendationem & Posterorum exemplum, ab ingenuo Scriptore prætereunda non erant.

Ecclesiæ vero Sponsæ, & Filii Feltrensisibus satis amplum Patrimonium paterni nominis & gloriæ, imo & charitatis vere pastoralis reliquit; cum ejus curam, ne infirmus quidem, dimisit, imo, & absens, atque adeo decumbens eisdem aliquando plus profuit, quam quivis alias, & præsens, & optima valetudine, & gubernaculo ipsem et insidens vix profuisset.

Elatus est VI. Kal. Aprilis, comitante universo Populo, præunte Cathedralis Ecclesiæ insigni Capitulo, Urbe suis pene sedibus convulsa ad ejus funus ornandum; ab omnibus, ne invidis quidem exceptis, aut adversariis (si quos habuit aliquando, ut fere semper alieujus nominis, & celebritatis Viri consueverunt) laudatus, (& quod gloriæ cumulum adjicit) a nonnullis etiam divini Verbi Præconibus ad imitandi exemplum ex Cathedra ipsa Veritatis propositus.

Ait magna funeris pompa, quæ defunctum Pontificem illustravit, fuerunt lacrymæ Pupillorum, & Viduarum supernam misericordiam Viro misericordi adprecantium, quæ multo melius, multoque disertius laudes ejusdem prædica-

(VIII.)

dicabant silentio, quam splendido, & eleganti verborum apparatu commisi
potuerit ejus Orator Jacobus Pellizzari, cæteroquin doctissimus.

Decessit mærore bonorum omnium, magno apud omnes, & præcipue Fel-
trenses sui desiderio relicto, ætatis suæ anno 41. Episcopatus vero Mense
XV. vix inchosto.

F I N I S.

1933 6 15

(9)

X VIII.)

dicabat silentio, quam splendido, & eleganti verborum apparatu committi
potuerit ejus Orator Jacobus Pellizzari, cæteroquin doctissimus.

Decessit mærore honorum omnium, magno apud omnes, & præcipue Fel-
trenses sui desiderio relicto, ætatis sue anno 41. Episcopatus vero Mense
XV. vix inchosto.

F I N I S.

1833. 6. 30

(9)

XVIII.)(

dicabant silentio, quam splendido, & eleganti verborum apparatu constitit
potuerit ejus Orator Jacobus Pellizzari, cæteroquin doctissimus.

Decessit mærore honorum omnium, magno apud omnes, & præcipue Fel-
trenses sui desiderio relicto, etatis sue anno 41. Episcopatus vero Mensis
XV. vix inchoato.

F N I S.

1333 635